

et præcipiuntur coercitive exequi, et observari etiam a contradicentibus, et rebellibus. (63. Tertia est confirmatio auctoritativa, in quantum per ipsam Decr. Conc. auctorizantur, ut divinæ revelationi conformia, et præcipiuntur haberi a tota Ecclesia tamquam Regulæ Fidei, et morum, simulque exacte observari. (64. Hinc prima, et secunda confirmatio potest fieri etiam ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Supremis Principibus. (65. Tertia autem a solo Romano Pontifice fieri potest privative, quoad omnes. Unde egregie ad rem Card. Cusanus. *lib. 3. de Concord. Catholica, cap. 15.* dixit: « Summ. Pontif. confirmat tamquam auctoritatem præbens Concilio, Imperator vero tamquam testis eorum, quæ gesta sunt, et decreta, et tamquam ea approbans, et recipiens, eisque se subiciens, et quia Regis ad exemplum totus componitur Orbis, cæteri omnes Concilio obediunt; nullam vero vocem Synodicam, vel decisivam, vel conclusivam habet; ideo cum deprehendimus Imperatores Concilia confirmasse, id factum est, ut manus auxiliares præberent Ecclesiæ (1). »

(66. Definitiones Universalis Concilii etiam legitime congregati editæ absente Romano Pontifice non sunt infallibiles sine ipsius Papæ confirmatione; Christus enim non pro Apostolorum Concilio, sed pro Petro rogavit, ut non deficeret Fides ejus; *Luca 22.* ibi: « Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua, et tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. » (67. Unde infallibilitatem in definiendo dedit solum Petro, et ejus successoribus; *cap. A recta 9. cap. Hæc est fides, 14. caus. 24. quæst. 1. et cap. Majores 3. de Baptismo.* (68. Non autem Concilio, quod potest errare, pro ut de facto alias erravit; *ut cap. de puellis 4. et cap. Placuit 11. caus. 26. quæst. 2.* et notat Abbas in *cap. Significasti num. 3. de election.* Turrecremata in *cap. Anastasius in fin. dist. 19.* Card. Alban. *de potest. Papæ, et Concilii in 2. part. num. 107.* Card. Petra *tom. 5. comment. in Constit. 10. Pii II. num. 31.* Fagn. in *cap. Majores 3. de Baptismo num. 29.* ubi *num. 30.* subjungit, quod licet universale Concilium Ephesinum II. legitima auctoritate fuerit inchoatum, nihilominus Leo Papa minime probavit ipsius Concilii definitiones, immo illas in sequenti Concilio Chalcedonensi tamquam hæreticas damnavit, ut refert Card. Turrecremata in *Summa de Ecclesia l. 2. cap. 100.* (69. Nec obstat, quod cum omnia Concilia per Romani Pontificis auctoritatem celebrantur, ut expresse cavetur in *cap. Significasti 4. de election.* illorum definitiones post impertitam eis auctoritatem censeri debeant Papales, et consequenter infal-

cordati viri hodie fatentur. Consule clariss. Constantii Congregat. S. Mauri censuram duarum illarum Epistolarum, et illius Synodi in Appendice Epistolarum RR. PP. *pag. 51, et sequ. (Edit. Rom.)*

(1) Quæ Auctor Romani Pontificis jura circa generalia Concilia hicasserit, invenies hæc pertractata in Zachariæ Antifebronio Italico, cui adde Antifebronium vindicatum *tom. 3. diss. 7. cap. 7, et t. 4. diss. 11.*

libiles; *cap. Si Apostolica; c. Si eum, et c. Hi qui in fin. de Præbend. in 6. Cum aliquibus, de rescriptis in 6. quia ex l. 1. § Sed neque C. de veteri J. enuclean. Omnia nostra facimus, quibus auctoritatem impertimur; et regul. 72. Juris in 6. ibi: Qui facit per alium, est perinde ac si faciat per seipsum.* (70. Non obstat, inquam, quia respondetur, prædictas Regulas, et Jura procedere in iis tantum, quæ ex sui natura possunt alteri delegari, ut notatur in *l. 1. ff. de Offic. ejus, et dict. Regul. 72. Qui facit per alium.* (71. Infallibilitas autem in determinationibus, et definitionibus spectantibus ad Dogmata Fidei non est alteri delegabilis, et communicabilis, quia fuit divinitus collata solum ipsi Petro; et ex Petri Persona illius successoribus, *ut ex cit. c. 22. Luca, cit. cap. A recta 9. cap. Hæc est Fides 14. caus. 24. quæst. 1. et citat. cap. Majores 3. de Baptismo, Fagnan. loc. citat. num. 33.* Bellarmin. *lib. 2. de Concil. cap. 11.* Malderus *disput. 3. de Concil. dub. 1.* Cardin. Petra *loc. citat. num. 31 et 32.* et sic alii passim.

(72. Concilia Generalia a Summo Pontifice confirmata sunt infallibilis veritatis, et errare non possunt nec in Fide, nec in moribus. Oritur autem hæc infallibilitas ex assistentia Spiritus Sancti non ipsi soli Pontifici, sed etiam reliquo Concilio cum Pontifice in unum collecto; *Matthæi enim 18.* expresse dicitur: *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum,* id est ait Concilium Chalcedonense *post act. 3. in Epistol. ad Leonem Papam, si duo, vel tres congregati in nomine meo, meam assistentiam accipiant, quanto magis Congregatio tota Prælatorum cum capite suo?* Joan. 16. dicitur, *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem.* Unde fidenter pronunciat primum Concil. Hierosolymitan. *Actor 15. Visum est Spiritui Sancto, et nobis.* (73. Hinc est quod Concilia Generalia a Summis Pontificibus approbata seu confirmata habentur ab Ecclesia tamquam norma Ecclesiasticæ veritatis; *c. Canones 1. cap. Sicuti Sancti Evangelii 2. et cap. Sancta Romana Ecclesia 3. dist. 15.* (74. Concilia autem Generalia ab Ecclesia totaliter approbata sunt decem et octo; videlicet, *Nicænum* celebratum sub Sylvestro Papa anno 325. contra Arium negantem Christi divinitatem, (2) *Constantinopolitanum* primum celebratum sub Damaso ann. 381. contra Macedonium negantem Spiritum Sanctum; *Ephesinum* sub Cælestino I. anno 431. contra Nestorium constituentem duas in Christo personas; *Chalcedonense* sub Leone I. anno 451. contra Eutychem, et Dioscorum, statuentes

cap. 4. ac Petrum Ballerini de Potestate Ecclesiastica. (Edit. Barbiell.)

(2) Nicæno adde Sardicense Concilium, de quo fuerit Oecumenicum, dubitari vix potest post ea, quæ hæc de re disputata sunt a Balleriniis *tom. III. oper. 5. Leonis 12. p. XLII. seqq.* ac nuperrime in egregia de Sardicensi Concilio Italica dissertatione ab eruditissimo Presbytero Marchetto. (*Edit. Barbiell.*)

unicam in Christo voluntatem, et naturam. Et de his quatuor primis Conciliis testatur expresse S. Gregorius *l. 1. Epist. 24.* se illa venerari sicut quatuor Libros Evangeliorum *cit. cap. Sicut Sancti Evangelii 2. dist. 15.* (75. *Constantinopolitanum* secundum sub Vigilio Papa anno 553. contra Petrum Ganaphæum Episcopum Antiochenum hæresi partim Macedoniana, partim Nestoriana infectum; *Constantinopolitanum* tertium sub Agathone Papa anno 631. contra Sergium, Pyrrhum, et alios Monothelitas; *Nicænum* secundum sub Adriano I. anno 781. contra Iconoclastas; *Constantinopolitanum* quartum sub Adriano II. ann. 870. contra Photium Pseudo-Patriarcham; *Lateranense* primum sub Calisto ann. 1123. pro recuperanda Terra Sancta; *Lateranense* secundum sub Innocentio II. anno 1139. pro Juribus Cleri, et Schismate sopiendo; *Lateranense* tertium sub Alexandro III. anno 1180. contra Waldenses; *Lateranense* quartum sub Innocentio III. anno 1215. pro reformatione Ecclesiæ, et recuperatione Terræ Sanctæ; *Lugdunense* primum sub Innocentio IV. ann. 1245. contra Fridericum II. Imperatorem, Henrici V. filium, et pro Terra Sancta; *Lugdunense* secundum sub Gregor. X. anno 1274. contra Græcorum errores; *Viennense* in Gallia sub Clemente V. anno 1311. contra Saracenos invasores Terræ Sanctæ; item contra hæreticos Beguardos, et Beguinas; *Florentinum* sub Eugenio IV. ann. 1439. pro reconciliatione, et reductione Græcorum; *Lateranense* quintum sub Leone X. an. 1517. contra Pseudo-Concilium Pisanum; *Tridentinum* sub Paulo III. indictum an. 1542. et inchoatum ann. 1545. contra Lutheranos, aliosque Hæreticos Novatores, et sub Pio IV. demum finitum anno 1563.

(76. Concilium Generale non est supra Papam, sed Papa est supra Generale Concilium; (1) soli enim Petro, et in Petri persona omni eius successori (non autem Concilio, aut

(1) Cum dicant auctores Romanum Pontificem esse Concilio Generali superiorem, ita sunt intelligendi, quod loquuntur de superioritate Romani Pontificis certi, legitimi ac viventis supra Concilium generale; non vero de præminentia Pontificis dubii, illegitimi, aut defuncti. Item loquuntur de Concilio seorsum spectato a Romano Pontifice; non de Concilio Generali, cui per se, aut per suos legatos præsederit, quodque confirmaverit Pontifex, aliter enim controversia nullum haberet sensum; idem esset ac disputare, utrum Pontifex se ipso superior sit, Conciliorum enim decreta suum robur a confirmatione Romani Pontificis accipiunt. Igitur, si quæ controversia adhuc movetur, est de relativa præminentia Romani Pontificis seorsum considerati præ Concilio item a Romano Pontifice seorsum spectato. Sic quæstionem proponit Natalis Alexander *Diss. 4. sec. 15. et 16. art. 5.* Perrone S. J. *Tract. de locis Part. 1. sect. 2. n. 620. et seq.*

Ex quibus apparet quæstionem de Romani Pontificis præminentia super Concilium vix non esse supervacaneam. Etenim donec deficient promissa Christi, numquam fieri posset, ut Caput a corpore Ecclesiæ, vel Ecclesia a capite suo visibili avulsa

alicui Congregationi dictum est a Christo *Matth. 16. Ego dico tibi, tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Tibi dabo Claves* (quæ supremam potestatem denotant) *Regni cælorum;* Joan. ultimo *vers. 15. Pasce agnos, pasce oves meas,* id est etiam Episcopos in Concilio congregatos; et sic sæpius fuit definitum, videlicet ab Innocentio in *cap. Nemo judicabit,* a Symmacho in *cap. Aliorum,* ab Anthero in *c. Facta subditorum,* a Gelasio in *cap. Cuncta per Mundum 9. quæst. 3.* in quorum ultimo habentur (ut alia aliorum brevitatis gratia omittam) præcisa hæc verba: « Apostolica Sedes sine ulla Synodo præcedente, et solvendi quos Synodus inique damnaverat, et damnandi nulla existente Synodo, quos oportuit, habuit facultatem, et hoc nimirum pro suo principatu, quem Beatus Petrus Apostolus Domini voce et tenuit semper, et retinebit. » Et ab Innocentio III. in *cap. Per venerabilem § rationibus; Qui filii sint legitimi;* et clarius a Pio II. in *Constitut. incip. In minoribus agentes,* in qua respuens contrariam opinionem, quam adhuc in minoribus imprimis defenderat, errorem suum, et scripta humiliter, et ingenue reprobandus, docet firmiter tenendum esse auctoritatem Pontificiam esse supra Concilium. (77. Quinimmo hoc idem etiam ipsa Generalia Concilia sæpe sæpius declararunt. Sic Concilium Florentinum celebratum ann. 1436. sub Eugenio IV. ubi *post sess. 25. tom. 4. Conciliorum part. 1. pag. 106.* sic habetur: « Definimus Sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum Orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Beati Petri Principis Apostolorum, et verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiæ Caput, et omnium Christianorum Patrem, et Doctorem existere, et ipsi in Beato Petro pascendi, regendi, ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis Oecumenicorum Conciliorum, et in Sacris Canonibus continetur. » (78. Cui definitioni subscripserunt etiam Im-

sit, vel ad invicem opposita. Quid enim est corpus sine capite? Quid Caput sine Corpore?

Nemo tamen tuto quæstionem impugnare potest. Patet ex damnatione prop. XXIX. ab Alexandro VIII. facta: *Futilis et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani super Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in fidei quæstionibus infallibilitate.* Immo Bellarminus dicit: *est fere de fide Romanum Pontificem esse super Concilium Generale.* Gallicani veluti paradoxum sententiam nostram rejiciunt; alii vero putant quæstionem esse adiaphoram. Sed de his præter auctores citatos in additionibus consule doctissimum Perrone *loco citato,* qui non minus prudenter quam accurate eruditeque, uti solet, defendit *Romanum Pontificem vi sui primatus supra auctoritate gaudere in omnes Episcopos etiam in generali Synodo collectos.* « Ego vero, inquit Devoti *Tom. 1. cap. 2. n. 21. Prolegom. Inst. Canon. Summo Pontifici præstare Concilium nego, et pugnantia eos loqui intelligo, qui cum ex catholice fidei doctrina ecclesiasticam monarchiam agnoscant, tamen opinionem illam repente, ut equidem puto, sæculo XIV. ex medio schismatis incendio ortam, et in aristocraticam denique recidentem sequuntur. » (*Nota Casin.*)*

perator Græcorum, et Patres, tam Græci, quam Latini. Et sic etiam fuit definitum in Concilio Lateranensi quinto celebrato ann. 1317. sub Leone X. ubi *sess. 11. tom. 4. Concil. part. 2. pag. 120.* sic habetur: « solum Romanum Pontificem pro tempore existentem tanquam auctoritatem super omnia Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, et potestatem habere nedum ex Sacra Scriptura testimonio, dictis SS. Patrum, aliorum Romanorum Pontificum, Sacrorumque Canonum Decretis, sed propria etiam eorumdem Conciliorum confessione constat; » et ibi varia talia Concilia recensentur, quæ brevitatis gratia ibi videnda, seu in Constitutione d. Leonis X. incip. *Pastor æternus* legenda relinquuntur.

(79. Insuper Concilia ipsa dupliciter agnoverunt, se inferiora esse Romano Pontifice. Primo, quia in Decretis Generalium Conciliorum clare excipitur auctoritas ipsius Romani Pontificis, ut patet in *c. Significasti 4. de election. vers. Cum omnia Concilia*; et concordat *cap. Dudum. et cap. Peregrina 3. quæst. 6.* et expresse *Conc. Trid. sess. 25. cap. 21. de reform.* Auctoritas autem non excipitur nisi Superioris; *c. Venientes de Jurjurand. et dic. cap. Dudum 3. quæst. 6.*, (80. Secundo quia Patres consueverunt petere et obtinere Conciliorum confirmationem a Summo Pontifice; *c. Multi 5. c. Concilia 6. dist. 17.* Sicut in specie confirmationem petierunt Patres Concilii Nicæni, et aliorum, et postremo Patres Concilii Tridentini, ut patet supra *sub num. 56. 57. et 63.* (81. Confirmatio est evidens signum Superioritatis, ut per Bald. in *l. fin. n. 4. vers. ulterius, nota C. de legibus*, ubi ait: « Nihil est majus, sive sanctius imperio, intellige, nisi Apostolatus B. Petri, cum enim Apostolic. confirmet Principem, istud est manifestum signum Superioritatis, ut in Auth. de defen. civ. § interim. » Hæc Bald. quem ad propositum primatus Papæ in Conc. adducit Felinus in *cap. 1. in fin. vers. Pro dicto Abbatis, de treg. et pac. et Card. Alb. in tractat. de potest. Papæ p. 1. n. 88.* Qui propterea hinc deducit ipsamet Concilia, dum confirmationem petierunt, se Romano Pontifice inferiora declarasse. Quod satis etiam constat ex Bulla Pii IV. confirmationis Concilii Tridentini, quæ incipit: *Benedictus Deus*, ibi: « Cum autem ipsa Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum Conciliorum vestigiis inhærens, Decretorum suorum omnium confirmationem a nobis petierit; » et infra ibi: « Cujus auctoritatem etiam ipsa S. Synodus tam reverenter agnovit. » (82. Tum quia a Sententia Concilii Generalis potest appellari ad Papam tamquam ad Superiorem, sed non e converso; *c. Cuncta per Mundum g. q. 3. et cap. Qui se scit. 2. quæst. 6.* (83. Immo appellantes a Romano Pontifice ad futurum Concilium, eorumque consilarii, et fautores, pœnis Exco-

(1) Quære alia de hac celeberrima controversia apud Card. Orsi, et Zachariæ utrumque Antifebronium. (*Edit. Barbiell.*)

municationis, criminisque læsæ Majestatis Divinæ, et humanæ subjiuntur a Pio II. in *Constitut. incip. Exécrabilis.* Et decernuntur veri, et indubitati Schismatici, et de Catholica Fide male sentientes a Julio II. in *Constit. incipiente Suscepti Regiminis*, et quotannis excommunicantur in die Cœnæ Domini, ut patet ex *Bulla Cœnæ § 2.* (84. Unde cum appellatio sit de minore ad Superiorem Judicem provocatio; *l. 1. § si quis a Judice, ff. de appellat. c. 2. de consuetud. in 6.* ex quo non possit appellari a Papa ad Concilium, quia esset appellare a Superiore ad inferiorem contra naturam appellationis, stat evidenter, quod Papa sit supra Concilium, et non e contra. (85. Quid plura? Auctoritas Romani Pontificis supra Concilium, ultraquamquod fuit expresse definita a Leone X. in *Conc. Lateranensi quinto sess. 11.* ut patet ex ejus verbis relatis *sup. n. 77.* habetur ad præsens etiam expresse definita ab Alex. VIII. qui 7. Dec. 1690. hanc in ordine 29. propositionem damnavit: « Futilis, et toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Conc. OEcumenicum auctoritate, et in Fidei quæstionibus decidendis infallibilitate. » (86. Et prius 4. Aug. ejusdem anni 1690. *Constit. incip. Inter multiplices*, proscripserat quatuor propositiones editas in Comitii Gallicanis de anno 1682. quarum secunda auctoritatem Concilii supra Romanum Pontificem elevabat per sequentia verba: « Sic autem inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus Christi Vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant Sanctæ OEcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita, Decreta de auctoritate Conc. Generalium, quæ sess. 4. et 5. continentur; nec probari, qui eorum Decretorum quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robor infringant, aut ad solum schismaticis tempus Concilii dicta detorqueant. »

(87. Appellantes ad futurum Concilium Generale damnantur et excommunicantur etiam a Benedicto XIV. *Constit. 14. incip. Pastoralis § 2.*

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(88. De Romani Pontificis auctoritate supra Concilium Generale non est quod disse-ratur, nam ea communiter admittitur a Theologis, et Canonistis. Confer Biner. in *Apparat. ad Jurisprud. Eccles. part. 3. cap. 1. quæst. 6. per tot. (1).*

(89. Ex hac autem Pontificis Romani auctoritate supra Generale Concilium, I. infertur, quod a Romano Pontifice, ut recte monuit Auctor, appellari nequeat ad Concilium Generale; (90. appellatio enim de sui natura fieri debet ab inferiore ad Superiorem. Non est itaque quod a Pontifice Romano appellari queat ad Concilium generale: « Neque

(ita opportune Christianus Lupus de appellat. cap. 19. Edit. Venet. anni 1742. fol. 90. col. 2.) in damnatam hanc appellandi temeritatem ullus unquam antiquis Ecclesiæ sæculis prorupit, nisi a turbulentia infamissimi Donatistæ. Dico antiquis Ecclesiæ sæculis. Etenim in novissimis, quibus iniquitas abundare cœpit, temporibus, eam resumpsit turbidus spiritus Friderici II. qui primus a Gregorio IX. ad Romanam, ac postea ab Innocentio IV. ad Lugdunensem Sydonum vocatus de hæresi, atque aliis criminibus respondere per Thaddæum legatum, suas primum Lugduni exceptiones proposuit, ac ob illas, a secunda depositionis sententia non retrocedente Pontifice, appellavit, ut scribit Matthæus Paris, ad Concilium futurum generalius, eo quod omnes Prælati, et Principium oratores non essent præsentēs. Verum perrexit Pontifex, exiitque Fridericum et Imperio, et Ecclesiastica-communicatione. Eandem in foveam sese a Bonifacio VIII. excommunicatus projecit Philippus Pulcher Galliarum Rex, eique non solummodo Gallicani Proceres, sed et quidam Episcopi adhæsere, quos obsecravit, ne Bonifacium spirituali gladio abusus in ultioribus excommunicationibus prorumpere sinerent, pollicitus se congregandæ Synodo pro viribus adnatum. Sciebat Philippus rem a se tentari irregularem. Hinc salva a se omnia Romanæ Ecclesiæ privilegia protestatus est et agi contra solum Pontificis Personam, eamque de hæresi accusavit. Sciebat enim non nisi ex manifesta hæresi adversus Principales Claves posse quippiam attentari. Sic a Johanne XXII. appellans Ludovicus Bavarus dixit sibi quæstionem non esse de Potestate Papali, aut Jurisdictione Ecclesiastica, sed de temporalibus Imperii Juribus, quæ Johannes violenter per arma potius quam per Apostolicas Claves invadebat. Norat a Papali sententia appellationem rem esse minime Christianam. Et quem finem ambo hi Principes habuerint, novit Mundus universus. » Ad eundem Christianum Lupum *loco citato (1).*

(91. Infertur II. quod a Concilio Generali appellari possit ad Romanum Pontificem. (92. Nec desunt exempla, et quidem in sanctis hominibus. Ea habemus in S. Athanasio Patriarcha Alexandrino, et Paulo Patriarcha Constantinopolitano, qui a Concilio depositi appellarunt ad Julium I. Papam, a quo Sedibus suis fuerunt restituti. Sozom. *l. 3. c. 8.* in S. Flaviano pariter Patriarcha Constantinopolitano, et Theodoro Episcopo

(1) Hoc argumentum de appellationibus a Romani Pontificis Constitutionibus ad Generale Concilium innumeris sunt, qui Quesnellianæ factionis occasione in Galliis præsertim pertractarunt. Consule etiam Zachariam tum in Antifebronio *Tom. IV. pag. 165. seqq.* tum in Antifebronio vindicato *Tom. IV. diss. XII. cap. 4.* et Marchettum in præclaro opere, quod in Fleuryanum historiam Bononiæ edidit, nunc autem multo auctius Romæ recudit. (*Edit. Barb.*)

(2) Jure Cl. Auctor, a quo hæc additiones profectæ sunt, asserit, a Concilio Generali appellari posse ad Romanum Pontificem. Sed vereor, ut hoc exemplis ab eo indicatis comprobari possit. Nullus enim ex

Cyri, qui a Concilio Ephesino II. appellarunt ad Leonem I. Pontificem; S. Leo *epist. 25. Liberatus in Breviario c. 12.* in S. Johanne Chrysostomo itidem Patriarcha Constantinopolitano appellante a Concilio, a quo fuit depositus, ad Innocentium I. Gelas. in *Epist. ad Episc. Dardan. (2).*

ADDITIONES NOVISSIMÆ.

(93. Quum indubitatum sit, Concilii OEcumenici universalem et Catholicam Ecclesiam repræsentantis majorem esse auctoritatem, quam cujusvis alterius Concilii, aut Convertus particularis, nequaquam dubitari potest, quin hoc titulo Canones Concilii OEcumenici reliquorum Conciliorum Canonibus auctoritate prævaleant.

(94. Inter Concilia OEcumenica indubie eo major est eorum auctoritas (cæteris intellige paribus), quo magis ad OEcumenicam Synodum accedunt, et majorem totius Ecclesiæ partem repræsentant. (95. Recens non est, Concilium aliquod recipi in iis, quæ fidem tangunt, licet non ubique recipiantur omnia ejus disciplinam spectantia.

(96. Quare priusquam per Provincias promulgentur Conciliorum Decreta, exteriori disciplinam spectantia, expendenda et examinanda ab iis, qui jurisdictioni in illis Provinciis præsunt.

(97. In Conciliis Episcopi sunt Judices.

(98. Proinde, semper concludendum esse ex omnium Sacerdotum seu Episcoporum sententiis ex libertate prolatis, S. Leo ipse supposuit; ac per consequens omnes Episcopos qui adsunt esse veros Judices, e quorum sententiis, sive suffragiis conclusio formanda sit.

(99. Concilia etiam Generalia in particularibus factis non revelatis, errare possunt, nec id obest auctoritati Synodi in decidendis vel confirmandis articulis fidei.

(100. Concilia præcipue ad stabiliendam fidem, et formandos mores congregantur.

(101. Constitutio lata vel edita solemniter in Concilio Generali, si tamen non fuerit publice Communitati promulgata, non obligat etiam præsentēs, et scientēs.

(102. Conciliorum præsertim Generalium Sanctionibus acquiescere nolentes, semper pro hæreticis declarati fuerunt.

(103. Concilii Nationalis auctoritas proxime ad Concilii OEcumenici auctoritatem accedit.

(104. Hinc quædam Concilia Nationalia dicta sunt Universalia, Plenaria, et Generalia.

(105. A Patribus Africanis statutum legitur, ut Synodus Nationalis annue haberetur.

Sanctis illis Episcopis, qui de suis sedibus dejecti Romam appellarunt, fuit in Generali Concilio depositus, ne Flavianus quidem, aut Theodoretus; Ephesinum enim II. non tam Concilium Generale fuit, quam latrocinium. Athanasius, et Paulus ab Ariano conventibus, Chrysostomus a Conciliabulo ad Quercum fuere depositi. Hæc tamen exempla locuples argumentum suppeditant supremæ Romanorum Pontificum tum in abrogandis Conciliorum etiam Nationalium, multoque magis Provincialium decretis, tum in suscipiendis ex toto orbe Christiano appellationibus auctoritatis. (*Edit. Barbiell.*)

(106. Sed hoc statutum de convocanda generali Synodo anniversaria fuit postea mitigatum.

(107. Concilium Provinciale auctoritate cedit Conciliis Nationalibus.

(108. Sicuti pariter indubitatum est, Provinciale Concilium auctoritate præstare Synodis Diocesanis.

(109. Licet constet, primis ut minus octo sæculis Concilia præsertim Generalia convocata fuisse per Imperatores, uti perspicuum est ex literis, quibus ipsi præfata Concilia indixerunt, et quemadmodum inter alios notavit Edmundus Richerius in Historia Conciliorum; nihilominus et hoc constat, sæculo IX. et sequentibus credi cœpisse hanc convocandorum Conciliorum auctoritatem penes Apostolicam Sedem esse.

(110. Ita ut inter speciales prærogativas Romano Pontifici competentes hæc recensentur, sicuti colligitur ex Dictato vulgo Gregorii VII. ubi dicitur: *Quod nulla Synodus absque præcepto Summi Pontificis debet generalis vocari.*

(111. Verum uti et notat D. Fleury in sua *Historia Eccl. lib. 63. num. 11.* quum hæc doctrina, prout ex falsis Decretalibus extracta, sit pristinae disciplinæ omnino contraria, infertur quod hæc Romani Pontificis prærogativa circa convocanda Concilia admitti cœperit solummodo, postquam in auctoritatem receptæ fuerunt falsæ Decretales. (1)

ADDITIONES CASINENSES.

(112. Uti Concilium Generale sive OEcumenicum dici possit, non sufficit tantum evocatio generalis, si adeo pauci conveniunt, ut major meliorque pars provinciarum exelusa videatur, præsertim si legitima causa abfuit, quominus omnes convenire possent. Unde necesse est, ut etiam congregatio aliquo modo generalis sit; sed si per malitiam hominum vel per negligentiam, aut aliam quamlibet occasionem una vel alia provincia desit, nihilominus Concilium pro Generali haberi debet, et sic tota Ecclesia OEcumenicas semper existimavit Synodos Nicænam, Ephesinam, Constantinopolitanam, Chalcedonensem, ubi multorum Episcoporum nomina defuerunt. Melchior. Can. *De Loc. theolog. lib. V. cap. 3. pag. 147. edit. Bassan. 1746.* In antiquis autem Conciliis OEcumenicis in Oriente celebratis putatum est sufficere, si solus Rom. Pontifex ex Occidente adesset; nam cum ipse sit Occidentis Patriarcha, jure representat totam Occidentalem Ecclesiam. Romanus Pontifex

(1) Cum Concilia Generalia universam representent Ecclesiam, ideo consequitur illa formaliter et auctoritative indicare posse eum solum, qui jure divino universæ præsidet Ecclesiae, quique auctoritatem in universam habet Ecclesiam, nec non in omnibus Episcopos (omnes enim sunt vocandi) auctoritatem exercere potest. Atqui unus Rom. Antistes hæc præstare potest. Talis enim est vis et natura Primatus Rom. Antistitis. Vt ergo sui Primatus ad unum spectat Rom. Antistitem Concilia Generalia formaliter et auctoritative indicare. Diximus formaliter et auctoritative, quia novimus Imperatores partem ali-

vero omnino adesse debet, vel per se, vel per legatos suos ut Concilium OEcumenicum dici possit, et sic semper tenuit Ecclesia: ita ut non putaretur OEcumenica Synodus quælibet, etiam frequentissima ubi Pontifex non adesset; unde Cl. Bossuet non dubitavit asserere Concilium ipsum complecti Papam et quidem tamquam caput. *Lib. 10. Defens. c. 23. t. 2. pag. 227.* Nam sicut caput est necessarium integritati corporis, ita Papa, cum sit caput corporis Ecclesiae debet necessario adesse in Concilio OEcumenico, quod totam Ecclesiam representat.

(113. Addere aliqua lubet iis, quæ dicit Auctor de jure RR. Pontificum in confirmatione Conciliorum, et in primis commemorare oportet regulam, quam adfert Socrates *Histor. lib. 2. cap. 8. pag. 74. edit. Taur. 1747.* inquit: *canon ecclesiasticus vetat, ne decreta absque sententia Episcopi Romanæ Ecclesiae sanciantur; et c. 17. pag. 83.* De Nicæna Synodo, vero vide Christianum Lup. *schol. c. 9. app. t. 1. p. 281. edit. Venet. 1742.* et Bertium *Hist. Eccles. t. 3. dissert. 1. cap. 1. et 18. pag. 29. et seq. edit. Bassan. 1768.* De Constantinopolitanis et Ephesinis Concilii approbatione consultare potes Bianchium *della potestà e della polizia della Chiesa l. 2. c. 3. §. 11. n. 3. et seq. t. 4. p. 556.* Patres IV. Concilii OEcumenici in relatione ad S. Leonem eorum quæ in Synodo gesta fuerant, *tom. 4. Concil. col. 1778 collect. Labæi edit. Venet.* « Et aliqua quædam, inquit, pro rerum ipsarum ordinata quiete, et propter ecclesiasticorum statutorum definitivum firmitatem, scientes quia et vestra Sanctitas ad discens et probatura et confirmatura est eadem. » Item Marcianus Imperator ad eundem S. Leonem 6. *inter Epist. S. Leonis 100. opp. tom. 1. col. 1114. edit. Ballerin. Venet. 1733.* et Anatolius Episcopus Constantinopolitanus *ib. Epist. 101. c. 5. col. 1134. et epist. 132. c. 5. col. 1134. et epist. 132. c. 4. col. 1263.* Et sic, inquit, *gestorum vis omnis, et confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit reservata.* Leo vero confirmavit Chalcedonensis Concilii decreta tantum quoad ea, quæ de fide fuerant constituta, reprobando privilegia concessa Ecclesiae Constantinopolitanæ, uti ex literis ad Anatolium et Marcianum *cit. t. 4. Conc. col. 1785. seq.* atque ad Synodum universam *ib. col. 182. et epist. 117. ad Julianum Coensem col. 1208. tom. 1. opp. S. Leon edit. cit. Vigilius Papa confirmavit V. Synodum. Evagr. hist. Eccles. lib. 4. c. 38. pag. 379. edit. Taurin. 1748.* et Vigilius epistola *Decretalis apud Labæum tom. 6. Concil. col.*

quam in convocandis Conciliis aliquando habuisse; sed quæcumque demum pars Imperatoribus erat, ea non est ex nativa et insita iis auctoritate, verum vel ex hortatu et consilio, vel ex tacito aut expresso consensu Rom. Antistitem. Res enim est facti, Imperatores consilio et auctoritate RR. Antistitem priora octo Concilia indixisse: De jure ergo et de facto ad unum Rom. Antistitem spectat Concilia Generalia convocare. Qui ergo fieri potuit, ut ex falsis Decretalibus hæc doctrina sit repetenda? cum Decretales, de quibus agit Fleury, antiquiores non sint octavo vel nono sæculo. (Nota Casin.)

239. seq. de qua vide Dissertationem 6. de Marca *ib. col. 243. seq.* Concilii VI. confirmationem petierunt Patres his verbis: « Quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam sanctitatem. »

(114. Quoad ea, quæ noster Auctor tractat de fallibilitate definitionis Concilii Universalis ante Pontificis confirmationem, observat Melchior Canus, quod tres casus occurrere possunt, cum intersunt Concilio Apostolici Legati instructi et moniti prius de Ecclesiae Romanæ fide circa ea, quæ sunt in Concilio tractanda, uti fieri solet, quamvis propter multiplices quæstiones, quæ agitantur erant, locum habere non potuit in Tridentino Concilio. Cum ergo legati tali auctoritate muniti in Concilium conveniunt, 1. fieri potest, quod Concilium Legatorum doctrinæ repugnat, vel e contra; in tali casu certum est, quod talis doctrina incerta est, et imbecilla cum sit reprobata ab Apostolica auctoritate. 2. Quod Legati agant contra instructionem Apostolicam, et tunc Concilii definitiones non gaudent Pontificis et Romanæ Ecclesiae approbatione, et eundem valorem habent, ac si Rom. Legati Concilio non interfuisent; nam ipsi tunc non agunt ex potestate delegata; unde Agatho Papa actione 4. sextæ Synodi: « Auctoritatem, inquit, eis, hoc est legatis, dedimus, in quantum eis dumtaxat injunctum est, ut nihil præsumant augere, minuere, vel mutare, sed traditionem hujus Apostolicæ Sedis sinceriter enarrare. » Et Leo *epist. ad Pulcheriam Augustam.* « Lucen-tium, inquit, Episcopum, et Basilium Presbyterum dirigere præparavi, qui dispositiones meas secundum eas, quas acceperunt regulas exequantur. » 3. Quod Legati accedunt ad Concilium sine prævia instructione, et tunc etiam Synodi decreta valida haberi non possunt, nisi Apostolica auctoritate confirmantur, ut in *epist. 51. Leonis ad Anatolium, 52. ad Martianum, 53. ad Pulcheriam, et 59. ad Concilium Chalcedonense,* et videre potes, si lubet, cætera Cani argumenta quoad ea, quæ ad fidem attinent. Sed si Legati ad Concilium accedunt instructi et moniti de Ecclesiae Romanæ fide, et Synodi patres definiunt secundum Pontificis instructionem, vix dubitari potest, tales definitiones errori obnoxias esse posse, et afferemus hic verba Cardinalis Bellarmini, cujus tanta est auctoritas in tali materia: « De quarto modo, scilicet de isto ultimo casu, vix dubium esse potest, videtur enim esse certum, tale Concilium non posse errare; primum enim in tali Concilio invenitur expressus consensus capituli et membrorum, ac proinde totius Ecclesiae, quæ sine dubio errare non potest neque obest, quod instructio illa a Pontifice data non videatur definitiva sententia Apostolicæ Sedis; nam quando Concilium consentit cum Pontificis sententia, formaturque decretum a Legatis nomine Pontificis, tunc incipit esse sententia definitiva et ultima, non solum Concilii, sed etiam Pontificis, nec potest Pontifex eam retractare: nam certo intelligit, sententiam suam fuisse a Deo, quando

a Concilio approbatur, ut dixit B. Leo in *epist. 63. ad Theodoretum:* *Quæ, inquit, Dominus nostro prius ministerio definierat, universæ fraternitatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodire ostenderet, quod prius a prima omnium sede formatum totius Christiani orbis judicium recepit, ut in hoc quoque capiti membra concordent.* » Bellarm. *Disp. de contro. Christ. Fid. tom. 2. de Concil. et Eccles. lib. 2. cap. 11. col. 85. edit. Parisiis 1613.* Unde Concilium Chalcedonense in *epist. ad S. Leonem act. 3.* expresse dicit, se confirmationem a Leone petere, quia præter Decretum fidei erant alia quædam, quæ statuta fuerant non petita Pontificis sententia; et ipse Leo in *epistol. 1117. ad ipsum Concilium Operum S. Leonis tom. 1. col. 1193. edit. Baller. Venet. 1753.* « Ne ergo, inquit, per malignos interpretes dubitabile videatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimam vestram de fide statuta sunt, approbem, hæc ad omnes fratres et Coepiscopos nostros, qui prædicto Concilio interfuerunt, scripta direxi, quæ gloriosissimus et clementissimus Princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicæ fidei amore dignabitur; ut et fraterna universitas, et omnium fidelium corda cognoscant, me non solum per fratres, qui vocem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodaliū, propriam vobiscum unisse sententiam. » Advertere tamen oportet, quod quamvis Concilia ista ante confirmationem errare non possunt, cum Patres consentiunt Romanæ Sedis doctrinæ, tamen confirmatio Pontificis semper necessaria est, ut fideles certiores fiant de legitimitate definitionis Concilii, uti patet ex præcatis S. Leonis verbis.

ARTICULUS II.

De his, quæ concernunt concilium provinciale.

(1. Concilium Provinciale (sic dictum ex quo representet Ecclesiam unius Provinciae per Abb. in *cap. Grave in fin. de Præbend.*) (2. est Consensus Episcoporum Provincialium coactus ab habente potestatem congregandi, vocatis vocandis de Jure, vel de consuetudine. Quarant. in *Summ. Bullar. verb. Concilium Provinciale 2. Navarr. cons. 4. num. 3. de verb. significat.* et re coincidit cum dictis *supra art. 1. n. 5.* (3. Indicere autem, convocare, et celebrare hoc Provinciale Concilium spectat ad Metropolitanum; *cap. si Episcopus 13. cap. si quis Episcopus 14. et cap. propter 15. dist. 18. cap. Quod sicut præterea, de election. cap. sicut olim 25. de accusationibus, Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformat.* (4. Etiam sine auctoritate Primatis, seu Patriarchæ; *cap. de Concil. 2. dist. 18. et ibi Præpositus num. 2. Fagnan, in d. cap. sicut olim 25. de accusat. num. 5.* (5. Et hæc Concilii Provincialis convocatio debet fieri a Metropolitano, seu Archiepiscopo pro ipso, non autem per Vicarium Generalem; textu expresso in Concilio Tridentino *loco cit. ibi: Quare Metropolitanus per seipsum etc.* (6. Metropolitano autem legitime impedito, convocatio Concilii spectat ad Coepiscopum an-